



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XXVI. Cur retrò accedat Hæmorrhøissa, & fimbriam tangat?
Dominica XXIV. Post Pentecosten. Accessitretrò, & tetigit fimbriam
vestimenti ejus. Matth. 9. v. 20.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XXVI.

Curretrò accedat Hæmorrhœiffa, &
fimbriam tangat?

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

*Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti
ejus. Matth. 9. v. 20.*

S. I.
Quæ fue-
rit hæc
mulier, &
quam per-
sonam re-
præsenta-
rit.

Mulier hæc gentilis & nobilis ex Cæsarea Philippi oriunda, quâ S. Ambrosius Martham, Nicodemi Evangelium vocat Veronicam, eo cœpit anno ægrotare juxta Ruperti lib. 8. in Matth. computum, quo nata est Jairi filia, (hanc enim duodennem fuisse probabile est) cum audisset de Adventu Salvatoris, spem concepit salutis, quæ deposita erat à Medicis, ut eleganter ponderat D. Chrysologus: *in arduis langvoribus dat sepe consilium vis doloris, in desperatis causis est sepe magistra necessitas, invenit ipsa sibi passio medicinam.* Si divis Ambrosio, Hieronymo, Hilario, Paschasio credimus personam egit hodierna mulier totius gentilitatis, quæ tunc infirmari cœpit, quando Synagoga in Patriarchis Abraham, Isaac, Jacob prognata est. tunc verò perfanata est, quando Synagoga est mortua. fluxus sanguinis sacrificia idolis oblata, & scelera idololatris familiaria significat, à quo fanari per philosophos suos & ariolos non potuit, sed magis deterius habebat, donec à fimbriæ contactu

sanitatem recepit. portabat Christus pro more gentis fimbriam Hyacinthinam, quæ præceptorum divinorum memoriam coelique spem adumbrabat. De hac fimbria & accessu ad eandem salutare duas quæstiones instituiam, si solitâ, quæ unicè necessaria, patientiâ fuero donatus.

Non clamat hæc mulier ut Chananæa, ut leprosi decem, aut cæcus Jerichuntinus, non rogat ut Archisynagogus aut Regulus, aut Centurio, sed in turba secretò latentèrque accedit, ut pio quodam furto rapiat sibi sanitatem. pulchrè Chrysologus citatus: *cum tangit fimbriam Christi, tunc divini pectoris pulsat arcanum, & furto fidei summam rapuit de fimbriæ summitate virtutem. Felix fraus quæ & lucrum salutis contulit, & damna sustulit mox pudoris.* Gaudet DEUS piâ nos fraude & dolo bono cum hæmorrhœiffa, latrone, Nicodemo uti, & cœlorum rapere regnum. Sic rapiunt, qui in abscondito orant, virtutes suas celant, mundum sanctè fallere nõrunt.

Accessit retrò, quia Salvatoris oculis se judicavit indignam, ut vult Alber-

S. 2.
Cur retrò
accesserit.

Chrysol-
ogus Serm.
33.

Albertus Magnus, agnovit enim foedo se morbo obnoxiam, ideoque tantopere sublimata est, ut non tantum conjiceret oculos in eam Jesus, sed etiam filiam appellaret, quo titulo nullam aliam in toto Evangeliorum Codice honoratam à Christo comperies. Si ad filiorum & filiarum titulum ascendere cupimus, humilitatem mulieris æmulemur, certissimò exaltanti, si retrò ad Christi simbriam nos collocaverimus, est enim sempèrque fuit exaltatrix humilitas.

Accessit retrò, ut consuleret dignitati & authoritati Christi ut vult Chrysologus ferm. 34. curabat, nè cura sua ad curantis redundaret injuriam: providebat, ut redderetur sibi salus salvâ reverentiâ Salvatoris. injuriam facit Mecœnati mendicus, si apprehendat manum, aut trahat importunè per vestem: injuriam facit reus Judici, qui supplicem libellum intrudit in sinum: injuriam facit subditus Regi, qui in via detinere, aut dorsum eidem obvertere, aut nimiâ familiaritate cum eodem agere præsumit. Reverenter cum Christo agendum est, ut monebat S. Theresia, quia honestissimis natalibus oriundus, atque ad omnem civilitatem expolitus aulicè tractari amat.

Accessit retrò, quia sequi vestigia Salvatoris & crucem suam bajulare post Jesum cupiebat; hic fanè optimus morborum fructus est vestigia Christi legere, simbriam contingere, & cogitare morbos nobis ideo immitti, ut JESU simus memores, imò ut ejus induamur insignibus, quia ipse est vir dolorum, sciens infirmitates.

Accessit retrò ait iterum S. Chrysologus citatus: *ibi faciem quam declinavit, in venit. erat totus oculus, qui post se supplicem ita videbat.* non possumus ullibi nostra figere vesti-

gia, ubi suum prius oculum non fixerit DEus. *ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat.* Job. 31. v. 4. cur tam accuratè singulas computet gressus, causam dat glossa: ut nè minutissimæ quidem cogitationes & verba tenuissima ejus judicio indiscussa remaneant.

Accessit retrò, quia ut vult Beda, mysterium exprimebat convertendæ gentilitatis post Ascensionem Salvatoris, ut crederet in eum, quem non videbat, ideoque foret beator: *beati qui non viderunt & crediderunt* Joan. 6. v. 21. dum enim absentem in cœlo amamus, absconditum in Eucharistia reveremur, ab invisibili nos videri credimus, ingentia nobis fidei merita, imò & cognitionis certitudinem comparamus. Certius enim illa scimus, quæ mentis quàm corporis intuemur obtutu. Unde Abraham Epuloni respondit: *si Moysen & prophetas* (qui mortui pridem erant:) *non audiunt, neque si quis ex mortuis, resurrexerit, credent,* quasi dicat, uti habet S. Zeno Serm. de Resurrectione: Non credunt suis oculis, qui non credunt Prophetis, fides enim quæ per auditum, superat fidem, quæ est per oculorum sensum.

Luc. 16.
v. 31.

Accessit retrò, ut nos instrueret, quomodo à sanguinibus per Sacramentum Pœnitentiæ liberari debeamus. Retro accedendum est, retrorsum in acta, dicta, cogitata reflectendus animus, retrò accedendum est considerando, quid habeamus ex illicitis voluptatibus, ex jactura temporis, ex supplicio quod impendet. Discamus non sufficere fidem & contritionem, quâ omnia DEO confiteamur peccata, sed oportet eadem ad aures Sacerdotis velut Christi pedes deponere, eaque ratione tangere vestimenti simbriam, de quâ porrò agendum est.

Ter-

S. 3.
Cur fimbriam so-
lam atti-
gerit.

Tetigit fimbriam, non manus, non vestem superiorem, sed oram ultimam, quia credebat, quidquid in Christo est sanctum esse ac salutare redundanté divinitatis virtute in oram vestimenti, sicut de ungveto Aaron Psaltes meminit, quod descendit in oram vestimenti: *in Christi fimbria* ait. S. Chrysologus serm. 34. *divinitatem totam videt inhabitare*. Inducti hoc mulieris exemplo plurimi alii, de quibus Matth. 14. rogabant Christum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Confundit proinde & condemnat mulier hæc nostrates heterodoxos, qui persuadere sibi nolunt, crucem, spinas, aliâque passionis instrumenta, virtutem aliquam supernaturalem à Dominici corporis contactu contraxisse, ideóque veneratione digna esse; at amabò intelligant, reliquias Sanctorum idcirco nobis esse in pretio, quia non minùs virtutis habent, quàm ossa mortui Elisæi, quorum contactu mortuus revixit 4. Reg. 13. Legissent melius acta Apostolica, ubi Pauli sudaria Act. 19. imò & umbram Petri. Act. 5. deprehendent à primis Christianis affectata fuisse. Sicut autem virtus erat in veste Pauli & umbra Petri ad sanandum ægrotos, ità in Sanctorum cineribus ad expellendos dæmones ait S. Chrysostomus serm. 35. de virt. & vit. *custodit enim Dominus omnia ossa eorum* Ps. 83. *capillus de capite non peribit*. Luc. 21. si ergò DEUS ea habet in honore, nos inhonorare aufimus?

Habent Sanctorum cineres & ossa affinitatem cum animabus cœlesti jam gloriâ donatis, quibus uniendæ denuò sunt, ut cum laborum fuerint focii, sint aliquando & bonorum; honoranda proinde similia ossa, quia cœlo certissimò inferenda; honoratur designatus Epi-

scopus vel Rex, etsi solium suum nondum conscenderit, possessionem necdum adierit, honorant Anglicanæ aulæ Ministri vacuum Registhronum eúmque circumstant, veluti Rex ipse actu sederet, honorantur vestes festales, & mundo loco asservantur, cur non vestes ac reliquæ Sanctorum, qui cœlestibus jam gaudent nuptiis? simus Ægyptiis non deteriores, qui sublatam Saram ob formæ miraculum, in domum Pharonis amârunt, & amore illius benefecerunt Abrahamo: *Abraham verò bene usi sunt propter illam*. Gen. 12. v. 16. fustulit DEUS animas Sanctorum in domum suam, nos si aulici esse volumus, honoremus corpora propter animas, eritque nobis propter hunc ipsum cultum bene in corpore & animâ.

Tetigit fimbriam. per fimbriam S. Bernardus intelligit Sanctos & servos DEI, ac proinde, si Salutem consequi nolumus, ad DEI Servos manus nostras & obsequia extendamus. *Tetigit fimbriam*, cum magna sinè dubio reverentia, humilitate, compunctione, fide, spe ac desiderio sanitatis, quibus virtutibus quia nos destituimur, idcirco sanitatem non consequimur, etsi non fimbriam, sed ipsam carnem Christi realiter tangamus, & Christum cum hodiernis turbis comprimamus. Aurea est illa S. Petri Chrysologi serm. 34. oratio: *Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, quamnam de ipso corpore possunt sumere medicinam, quando mulier totam rapuit de sola fimbria sanitatem? sed quod nobis stendum est, mulier de vulnere medicinam tollit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus*.

Denique accessit retrò & fimbriam tetigit, ut quàm reverentissimè cum Salvatore ageret, certa de-

u

fide-

sideriorum se suorum eò facilius fore compotem, quo majori in precando modestiã uteretur. Itã enim passim comperimus in Evangelio Centurionem, Chananæam, decadem leproforum aliõsque citò singula impetrãsse, quæ petebant, quia singulari cum reverentia Dominum convenere, at verò Matrem filiorum Zebedæi, Pharisæos signum aliquod de cælo petentes, Scribam in familiaritatem JESU sese minùs reverenter ingentem tulisse repulsam, non sinè verborum sale, quo Sapientia æterna insulfas eorum preces condire solebat. Sapientissimum Seraphicæ Virginis Theresiæ erat monitum: honestissimo genere JESUS meus natus est, amat proinde modestè reverentèrque tractari. Reverentissima erat illa MARIÆ vox ac gestus dicentis: *Ecce Ancilla Domini*, ideòque in reginam cœli

sublimari meruit, modestia Joannis Baptistæ, quã corrigiam Dominicorum calceamentorum solvere pro summa reputabat gratia, majoratum inter natos mulierum eidem obtinuit. Civilitas Zachæi, reverentia Publicani, demissio Magdalenæ, exquisitam DEi hominis commendationem ac gratiam conciliãrunt. quorum exemplo submissè reverentèrque nos geramus, ut corporis atque animi consequamur & integram servemus sanitatem.

Corona Problematis esto Solsequium, quod Solem non præit, sed sequitur: *Dulce sequi*. quid miramur retrò accessisse mulierem? Solsequium esse voluit, non ergò antecedere sed subsequi debuit, id quod illi utile ac dulce fuit.

— 33) o (33 —

